

Oratio anniversaria ... ex Harveii instituto, habita ... MDCCXLII / [Dr Hoadly].

Contributors

Hoadly, Dr. 1706-1757.

Publication/Creation

Londini : J. & P. Knapton, 1742.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fkrmxac4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

B

XX


LY

Har

28979/c

B. xxiv Mar

Handwritten text, possibly a signature or name, is faintly visible in the center of the page.



O R A T I O
ANNIVERSARIA
IN THEATRO COLLEGII
MEDICORVM
LONDINENSIVM,
EX HARVEII instituto,

Habita, Die 18^o Oct.

A. D. MDCCXLII.

A BENJ. HOADLY M. D. Coll. Med. &
S. R. S.

LONDINI:

Impensis JOHANNIS & PAULI KNAPTON, MDCCXLII.

O R A T I O

ANNIVERSARIA

IN THEATRO COLLEGI

MEDICORVM

FOUNTAINSBURY

EX HABITATIONE

HABITATIONE

A. D. MDCCLII

A. BENTLEY & SONS, M.D. COLLEGE, &

1852

LONDON:

Printed by W. Clowes & Sons, 7, St. Dunstons Lane, E.C. 4.



PRÆSIDI DIGNISSIMO
HENRICO PLUMPTRE M.D.

ET

SOCIIS DOCTISSIMIS
Collegii Medicorum Lond.

HANC

ORATIONEM

ILLORVM IVSSV EDITAM

D. D. D.

BENJ. HOADLY.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30408507>



O R A T I O H A R V E I A N A .



U O D Ego, hoc in loco & tempore, Oratoris Harveiani personam sustineo, potius quam munere fungor, magno vestrarum aurium incommodo, (Socii, & Auditores doctissimi) id totum tibi (Præses dignissime, & mihi multis nominibus colende) referri debet. Tu enim ita voluisti——

B

Orationis

Orationis habendæ, in doctorum virorum frequentia, difficultatem, quam ab ineunte adolescentia ad hunc diem pertimui, & nunc pertimesco——Ingenium, in hujusmodi præsertim rebus, exiguum——Nullum Usum——Ne minimam quidem dicendi Exercitationem :——Omnia, quæ potui, excusavi. Tu vero has meas, non quæsitas, sed justas & infucatas, excusationes adeo non probasti, ut constanter in proposito permaneres. Vicisti, igitur, uti par est; & Ego, vestro jussu Orator repente factus, coram adsum; aliquid dicturus, si modo potero, ab Harveiana hujus diei institutione non omnino alienum.

SI ducenda sunt a DEO omnium maximarum & optimarum rerum principia, tum præcipuè Medicæ artis, miseris hominibus adjuvandis natæ: quam unà cum morbis, malis, & ægritudinibus humanis, & nasci, & incrementis augeri, Ille optimus maximus omnium rerum Conditor vere dicitur voluisse. Illi enim visum est, & his malis humanum genus, in hoc animantium domicilio, circumdare; & materiam medicam ubique sparsam sensibus
eorum

eorum objicere ; & eâdem operâ Homines rationis & ingenii vi instruere, ad omnia exploranda, tentanda, invenienda, & paranda, quæ salutem Hominum inservire possent. Hinc igitur, Dei quasi jussu, Medicina, Ars Valetudinis ; primò rudis, incondita, fortuiti vel temerarii tentaminis Res ; deinde gradatim ad majora ascendens, acrius experiundo, & Naturæ ipsius indicia accuratius observando, & constantius colendo, tandem facta, qualem nunc videtis : gloriam magnam, & penè divinam consecutura, si modo totis viribus, qualescunque sint, re perficere contendat, quod verbis, & nomine promittit.

Quid enim in hâc rerum Universitate magis magnificentum, & hominibus gloriosum ? Quid eos ad similitudinem Deo propius facit accedere, quam plurimis prodesse ? quam miseriis, quæ omnes premunt, & calamitatibus, quibus gens humana perpetuo objicitur, opem ferre ; quam vitam brevem, & ærumnosam, (breviorem, & ærumnosiores, sine Artis adjumentis & allevamentis, futuram) aliquantùm protrahere ;

& mala arcendo, minuendo, & mitigando, placidiorem, & leviolem reddere?

Immortalitatem mortalibus arte medicâ donare Nemo fanus unquam vel in animo cogitavit. Sed aliquid certe est, Mortem, adeo mortalibus invifam, & a tergo quotidie prementem, paululùm remorari, & repellere; aliquid est, morbos moleftiffimos relevare, & illorum acumina hebetare; omnes recte & diligenter curare, plurimis etiam omnino mederi; aliquid est, de mortalium acerbiffimis doloribus partem detrahare, alios lenire, alios sæpe depellere & amandare.——Hæc non funt minimæ laudis. Sed longius ea perfequi non est instituti hodierni. Intra Diei ipfius rationes, & Collegii noftri limites, continenda est Oratio. Si ergo sæpius antehac dicta repetendo aures veftas contundam; date hanc veniam ipfi huic Institutioni, quæ hoc a nobis poftulat, ut Eorundem illuſtrium Virorum Nomina, qui hoc Collegium aut primo ftatuerunt, aut re poſteâ auxerunt, aut ingenio ornarunt, Immortalitati mandare (quantum in nobis eſt) quotannis enitamur.

DE LINACRO nostro, ante omnes primo, gloriari & merito possumus, & debemus. Erat is vir, cum literis latinis, tum etiam græcis, inter multos ejusætatís eruditos, eruditissimus. Post justos annos *Oxonii* humanioribus literis impensus, in *Italiam* se contulit; non inani studio, vel loca amœna, vel antiquis nominibus nobilitata, visendi; neque ut curiosum se in alienis rebus publicis præberet; sed ut oculis suis Literarum, Florentiæ & Romæ præcipuè, tunc renascentium, progressum videret, & ut auribus suis Viros omni genere doctrinæ instructissimos audiret; ut ab Horum ore penderet, & ad Hos summos viros imitandos, & tandem superandos, sese formaret. Domum itaque reversus, non nugis & fabellis viatoriis, uti mos est, aures vel oculos popularium suorum demulcere, & detinere, dignatus est; sed ad amplificandam & ornandam rem literariam, & medicam, se totum accinxit. Veteris Romæ rudera; Statuas, & Statuarum disjecta membra; Amphitheatrorum moles, & fragmina;——Has, aliasque omnes, immitis Temporis reliquias, aliis, otiosis & curiosis, laudandas & describendas reliquit.

Majora

Majora longè ille animo in Itinere cogitabat, quæ postea Domi, magnâ cum laude perfecit. In Aulam, Henrici Septimi jussu, ad regiam, & regię prolis, salutem tuendam, ab Oxonio (ubi Professoris Cathedram tum ornabat) arcessitus, post primos Invidiæ impetus virtute fractos & repressos, sub illo Rege, et sub filio Henrico Octavo, summâ & Dignitate & Gratiâ, diu floruit.

INTER has graviores curas, per multos annos feliciter continuatas, non erubuit *Grammaticam*. Ejus enim rudimenta, Anglico sermone conscripta, in Anglorum omnium Usum primo edidit; & postea (ut ipsius verbis utar) *ad Mariæ Regis filiæ generosum ad studia literarum ingenii impetum juvandum & fovendum, in summam, quam potuit, redegit claritatem.* Hæc rudimenta abunde laudavit Buchananus, magnum illud Scotiæ Decus, Latinitate ea donando, & in exterorum omnium gratiam publici juris faciendo. Tanti ea fecit Vir Maximus!——Parva sunt hæc, fateor; & parva esse Linacer ipse bene novit: sed sine parvis Magna non constare persuasum sibi habuit.

buit. Et quidem ex his parvis, aliisque ejusdem generis Eruditissimi viri laboribus ad linguarum cognitionem spectantibus, Fama sui nominis tanta fuit, ut a doctissimis ejusdem ætatis viris, primus & princeps Literarum humaniorum in his locis instaurator merito celebraretur.

His vero non contineri potuit Linacri animus: sed, gentis humanæ commodis semper intentus, cum se Regio favore tutum fatis & munitum sensisset, Gratiam illam eximiam, quam adeptus est, ad utilitatem publicam convertere apud se statuit: Et, propenso illo quo erat in commune bonum animo, Medicinam præcipuè resuscitandam, tuendam, augendam, & ornandam, suscepit. Quid multa? Prudentissimus rerum Estimator recte secum cogitavit Regem Patriæ Patrem esse debere; Paternum & Regium esse salutem Civium, tanquam filiorum, prospicere. Et cum in eâ sententiâ esset, Artis Medicæ Exercitationem nullis legibus obstructam, Licentiam esse immanem, & Valetudini Hominum maxime inimicam; Collegium hoc non solum instituit, & Statutis circum-

scripsit;

scripsit; sed Regiis literis, & Legum auctoritate, confirmari & muniri curavit; ne statim in auras evanesceret utilissimum Ejus consilium. Primus ipse Præses, in Ædes, quas ipse habitabat, dum viveret, Socios convocabat; & Præses moriens eandem societati legavit, perpetuum Conventus locum. Duo præcipue in animo habuisse videtur: Unum, ut Statutorum vi, Qui a literis alieni, indocti omnino, & ex omni parte inculti, non solum ab hac Societate perpetuò arcerentur, sed intra quosdam limites designatos in Medicâ arte se exercere non auderent; Alterum, quod omni laude nobis celebrandum, ut mores Suorum, præsertim inter se mutuos, præceptis formaret, & regeret; & Præceptis quidem, quæ, aureis literis digna, probitatem simul & humanitatem Statuentis spirant: Qualia, si non semper rei medicæ in honorem, & utilitatem cedant, Hoc nullo modo, (liceat mihi dicere) nisi nostrâ culpâ, & cum nostro dedecore, fieri potest.

IOANNES CAIJUS semper nobis in hac annuâ celebratione cum Laude nominandus. Summam ejus eruditionem, & accuratam linguarum

rum

rum peritiam, testata est Italia ipsa; quam Ille quoque (Linacri ad exemplum) adiit, atque, ad ingenium colendum, doctissimos viros, ibi tunc degentes, avidè & attentè audivit: Ipse tanto apud eos in honore, ut non solum Doctōris titulo * *Paduæ* insignitus, quod quotidianum est; sed, quod raro fieri contigit, Græcæ Linguæ Prælectoris munere, ipse Hospes & Peregrinus, ornatus esset. Munificentiam ejus, & propensum in literas Amorem, per omnia sæcula testabitur Cantabrigia. Post reditum enim in Patriam, famâ & opibus tandem dives, Collegium apud suos Cantabrigienses, secundo (eoque suo) nomine decoratum, ædificiis, & quod multo majus est, emolumentis, & annuis stipendiis, præclarè auxit; ad alendos & sustentandos tres Socios, & viginti adolescentes literis ibi operam dantes. Hæc, quæ verè magna sunt, & memoratu digna, ad Theologiæ, & omnimodæ Literaturæ, præsertim vero Artis

* Ita Tabulæ Cantabrigienses antiquæ, in annuâ ipsius Cæsarum Commemoratione semper

recitatæ: *Bononiæ*, Alii tradunt; incerto nescio-quo testimonio, uti videtur, ducti.

Medicæ, augmentum & progressum, optimo animo, & cogitavit & perfecit. Quod ad hanc Societatem attinet; Mitto Insignia illa, in Collegii usum ab ipso excogitata & dedicata; quæ & Virtutis Insignia vocari Bonus Vir voluit. Sed non mitto Patrocinium insigne, quod nostris rebus, in discrimen adductis, omni operâ, & totis ingenii viribus, feliciter præbuit: Neque hoc filebo, Caium nostrum, muneribus omnibus ad Collegium hoc pertinentibus, per multos annos, diligentissime & cum honore functum, administrationis inculpatae Exemplum aliis reliquisse.

CALDWALLI, & nobilissimi LUMLEII, conjuncta munificentia, rei Anatomicæ, & proinde Medicæ, utilissima, nunquam nobis tacenda; Si rem ipsam solùm spectemus, præclara; sed præclarior facta Harveianis Prælectionibus nunquam fatis laudandis.

ET GOULSTONUS hic quoque cum honore memorandus, qui Prælectiones Medicas, ad scientiam & Curam & Medelam Morborum, accu-

accuratissimè formatas & aptatas, instituit, & honesto stipendio donavit.

AD HARVEIUM properat Oratio, quo Nemo, post homines natos, felicior in indagando, inveniando, & explicando, quæ Medicinæ veram gloriam & accuratam exercitationem longius latiusque extendere possint. Ille quoque, post Cantabrigiensiâ studia, Italiam adiit, non ut Pictorum, vel suave-modulantium Cantorum sedem; sed ut, iis temporibus, Humaniorum Literarum & Medicinæ Theatrum insigne; & quasi totius Europæ alteras Athenas. Doctor ibi Paduensis, & postea Cantabrigiensis; Regius item Medicus. Sed ab his nominibus, (quamvis magna sonantibus) non pendet Harveiani nominis gloria. Æternam sibi famam non ex vocibus & sonis, sed ex laboribus & vigiliis, Vir Maximus conquistavit, & comparavit. Imò, ex folis Prælectionibus Caldwellanis *de Motu Cordis & Sanguinis*, tantam gloriam, omnium consensu & plausu, consecutus est, quantam Nemo fere alius mortalium etiam doctissimorum unquam adeptus est.

ERANT quidem apud Exteros perpauci, qui, pessimo animi morbo laborantes, inviderunt Optimo viro præclarum suum Inventum; & totis viribus conati sunt gloriâ tantâ Nomen ejus spoliare. Et post hoc breve & iniquum certamen, quod statim evanuit, Erant alii, qui quasi rem levem, & nullius momenti ad Scientiæ Medicæ augmentum, tractarunt; utilitatem Inventi omni operâ diminuere, vel potius omnino delere, contendentes: & nihil Harveio relinquentes præter inanem illam Curiosorum, non Gloriam, sed speciem vel imaginem Gloriæ, Harveianâ indole indignam. Gloriam enim ab utilitate sejunctam, ut in re medicâ nullius pretii, bene novit Vir magnus repudiare potius quam sibi sollicitè vindicare. Sed omnia hæc & talia commenta diluit Dies, veritati semper amica.

POST hos, & alios plurimos Harveii in Medicinæ culturâ labores doctissimos, quibus totum genus Medicum, & genus etiam humanum, sibi in æternum devinxit, non Nobis filenda est egregia, & penè inaudita erga nos Benevo-

nevolentia, quâ non solum Collegium Ædificiis novis, & Libris auxit; sed Se adhuc vivum paterno fundo exuere non dubitavit, ut nostris rebus succurreret: Undè & Ædium conservationi consuluit, & Bibliothecario & Oratori sua præmia constituit; atque etiam honesta convivia parari, & ornari voluit, ut mutuæ inter Nos amicitia signa essent, & incitamenta; ut vultu hilariore, & apertiore pectore, & colloquio liberiore, nos ipsos mutuo exciperemus; &, animas animis conjungentes, communia consilia facilius iniremus: Hæc enim sunt vera Ingenuorum Convivia. Sed de tanto Viro, Quid talia memoramus?—Dum Sanguis per humani corporis Arterias & Venas, divino plane artificio, fluit, & refluit, Honos, Nomenque HARVEII, Laudesque manebunt.

HARVEIUM proximè sequitur HAMEIUS, Cujus in hanc societatem tanta sunt merita, ut ipsius Auctoris non multo majora dici debeant. Ædes ipsas Linacrias, atque omnia Collegii Bona & Emolumenta, Præconis iniquæ voci subjecta, suo Ære redempta; Easdem Ædes postea

postea incendio illo luctuoso consumptas, amplioribus & comptioribus compensatas, seu potius longe superatas, quales nunc videmus— Quosdam etiam ex Amicis conjunctissimis, exemplo & suafu suo, in societatem beneficentiæ adductos—Hunc ipsum fortasse Conventum;—Hæc & plura, HAMEIO debemus: Quæ quidem talia sunt, ut merito laudis ejusdem cum Linacro particeps fiat; non solum laudis quæ ad linguarum accuratam scientiam, & in literas ardorem; sed Ejus, quæ ad nostra hoc in loco commoda pertinet: in quibus omnibus *Linacro* tantum secundus, & parvo intervallo proximus. Si enim Hic, qui fundamenta primus posuit, Institutoris, & Auctoris Laudes meruit; Ille, qui Instaurator, Restitutor, & Amplificator; sine cujus ope & munificentia, Societas ipsa, quantumvis accuratè fundata & exstructa, si non dissipata & projecta periisset, certe inculta & squallida jacuisset; æqualem fere videtur, eamque eximiam, gratiam à nobis meruisse. Et, quod nullo modo prætereundum est, Ille idem HAMEIUS, qui his Beneficiis

ficiis vivus adhuc Nos affecit, in Morte etiam eandem in hoc Collegium animi benignitatem legatis prædiis demonstravit.

NOBILIS DORCESTRENSIS hanc nostram Societatem sibi & Memoriam suam devinxit, amore illo, quo Medicos semper coluit; studio, quo ipse in Medicinæ notitiam, & familiaritatem, quasi raptus est; munificentiam, quâ Librorum ingenti copiâ Bibliothecam nostram ditavit; & postremò magnam illam in Artem nostram animi propensione, quâ ipse inter Medicos nomen suum professus est; atque ita Collegium nostrum summo honore affecit. Et hinc quidem Occasio nobis arripienda est Duos ex nobilissimis nostræ Ætatis viros, grato animo, & omni laude prosequendi, qui Annales nostros nominibus suis illustriores fecerunt — Grande Decus simul & Præsidium Nobis, & Rei Medicæ! *

POST

* Nescio quo errore meo, in enumerando præclaros illos viros, quorum beneficentiæ

& largitati multum debet hoc nostrum Collegium, HALEI mentionem nullam feci. Pudet Me

POST hanc tot Virorum excellentium Com-
memorationem, tam prolixè explicatam, qui
hoc Collegium beneficiis & emolumentis, qui-
dam etiam & scriptis præclaris, instruxerunt &
ornarunt; Si per tempus liceret de omnibus
aliis quoque nostris singulatim dicere, qui doc-
tissimis suis laboribus, dum in vivis essent, Rem
Medicam auxerunt, & de eâ optime merue-
runt; libentissimè eorum Nomina, non sine
laude debitâ, à primordiis hujus Societatis us-
que ad nostra tempora, ordine deducerem. Ve-
rum Dies ipsa me deficeret aliquid dignè dicere
conantem de tot vix enumerandis Viris. Neque
quidem opus est. Nam cùm Eorum nomina
in summâ laude & gratiâ apud omnes jam pri-
dem constituta sunt; tali auxilio, & tali Prædi-
catore, eorum Fama non omnino eget.

AD nos ipsos nunc se vertit Oratio. Tot ac
tanta nostrorum Exempla repetentes, si eorum

Me negligentia. Eruditissi-
mi enim viri Nomen locum
sibi jure vindicat in hâc annuâ
Commemoratione, propter
Munificentiam illam, nunquam

nobis obliviscendam, quâ quin-
gentas libras in usum & Aug-
mentum Bibliothecæ nostræ
legavit.

Memo-

Memoriâ animati, & excitati, (de quo non dubito) ingenuâ cupiditate ardemus eandem gloriam consequendi; HARVEIUS ille nobis quasi digito viam monstravit. *Naturam ipsam suorum Arcanorum fidiſſimam eſſe Interpretem, Vox fuit Harveii* : Et ſi ipſa Medicina loqui poſſet, eâdem voce uteretur. Huic uni principio Ille innixus, & attentus, omnes ſuas curas inſtituit ; & omnia fere, quæ ſperanda eſſent in noſtrâ Arte, inveniendâ, & demonſtrandâ, non dubitavit. Hâc Voce, aliorum virorum graviffimorum ſuffragio comprobatâ, & Experienciâ & multorum annorum Uſu confirmatâ, Omnes tandem edocti, Hypotheſibus (quas dicunt) etiam ſpecioſiffimis abjectis, & repudiatis, ad ipſius Naturæ indicia animos attendimus.—Ægrotorum cubiculis, & lectis, inhærere ; Morbis ipſis perpetuò invigilare ; Eorum Sedes, Conſtitutiones, Mutationes, & Viciffitudines, diligenter & accuratè obſervare—Hæ ſunt nobis Artes : Atque his ſolis, Artis noſtræ utilitatem omnibus probare, & Saluti hominum, quæ

quæ in nostrâ tutelâ est, consulere, contendimus.

STUDIORUM & Laborum ita institutorum Virtute ; Linacrii Collegii Auctoritate ; & sub Auspiciis Virorum nunc in civitate Medicâ jure principum, suis meritis illustrium, & aliorum honestis conatibus semper faventium ; Mihi quidem videor videre Medicinam caput attollentem, & ad altissimum dignitatis gradum properè ascendentem.

ET Tu, Optime LINACER, si qua Te apud Superos nostrarum rerum Cura tangit, paterno animo tuum Collegium spectâ. Primo, Caium, Harveium, Hameium, aliosque aspice, tuis Vestigiis insistentes, & tua incepta summo studio perficientes. Deinde, ad nostra usque tempora oculos dirige ; & si gaudiis cœlestibus nostra admisceri fas est, Gratulare tibi—Præsidem, & Doctrina, & Moribus, quales ipse velles, excellentem ; & ut verbo dicam, Decessoris optimi & doctissimi Successorem dignissimum—Socios Omnes, uno tantum excepto, Te & tuâ Institutione dignos ; Juniores

ores erga Seniores observantissimos ; Seniores erga Juniores candidissimos & humanissimos— Omnia intra hos parietes, & votis tuis, & legibus, consentanea — Nulla diffidia, nullas similtates— Nulla vel Odii vel Invidiæ vestigia— Unum hoc inter nos Certamen, Quis melius, & felicius, salutem hominum inserviat ; famam ex hoc solo quærentes, & partem tuentes.

TALIBUS Exemplis, atque his Moribus, cultum, auctum, & ornatum, Collegium tuum, Tu ipse, Optime LINACER, amabis, & laudabis.

F I N I S.



[23]

Lately Published,

THree Lectures on the Organs of Respiration. Read at the Royal College of Physicians at *London*, *A. D.* *M DCC XXXVII.* Being the *Gulstonian* Lectures for that Year.

To which is added, An Appendix, containing Remarks on some Experiments of *Dr. Houston's*, published in the *Transactions* of the Royal Society, for the Year 1736.

By *BENJ. HOADLY*, Doctor of Physick, Fellow of the College of Physicians, and of the Royal Society.

Sold by *JOHN* and *PAUL KNAPTON*.

